

Ante Legem eadem anni ratio apud Hebraeos, & Aegyptios obtinebat; in Aegypto enim nutritis, vix aliam annorum formam, quam Aegyptiam, nosse poterat. Moyses in supputatione temporis, quo Diluivium duravit (e), anni Hebraici formam ad 365. dies redigendam demonstrat; annum vero 12. Menses, menses 30. dies dimetiabantur; postremus mensis 35. diebus constabat. Nullus apud illos intercalaris mensis, nisi cum post 120. annorum periodum annus 30. solidis diebus exorbitaret (f); in Scriptura tamen nihil de intercalari, sive decimo tertio mense.

c Gen. 7.

f Vide Scalig. de emendat. temp. l. 3.

g Eccli. 43. 6. Luna ostensio temporis, & signum avi; Luna signum diei Festi h Gemin. Isa. 602. c. 6.

Post egressum ex Aegypto, eodem manente anno civili, alter in usum religionis, ad solares partim partimque ad lunares regulas digestus, annus inventus est. Ejus caput in vere; atque primi mensis dies decima quarta (qui nempe mensis septimus erat anni civilis) Paschali solemnitati sacra habebatur. Quae tamen anni lunaris forma apud Hebraeos, in usum religionis introducta, non nisi post Alexandrum Magnum productis argumentis demonstrari potest. Ex Ecclesiastico (g) enim, Macchabæis, Josepho, Philone intelligimus, Græcorum apud Hebraeos annum obtinuisse, solarem nempe lunariibus mensibus constantem (h); Universi Graeci annos juxta solem, menses vero, & dies juxta lunam agebant. Patria apud Maimonidem legas: Menses anni, menses luna; anni autem, quos nos computamus, sunt anni solis. S. Joannes in Apocalypsi 11. 2. 3. & 12. 6. 14. & 13. 5. annos & ipse ex lunariibus mensibus 30. dierum supputat; tres enim annos & dimidium reddere dicit 1260. dies, quot planè reddunt 42. lunares menses.

Non nisi post inventum Talmudem, anni lunares tantum, ope intercalarium mensium singulis triennis ad solares redacti, apud Hebraeos obtinuerunt. Menses illos intercalares ve-Adar, vel secundos Adar appellant. Ad eam normam redigenda sunt, quæ de annis Hebræorum hodie usque, apud Rabbinos feruntur. Constat autem, annus ille 12. mensibus cavis & plenis, nempe 19. & 30. dierum alternatim. Porro menses illi lunares, juxta Rabbinos, non congressu solis cum luna, sed ab ipsa lunæ phasi ducebantur. Certi enim viri, inquit, mercede conducebantur, ut è montium vertice ejusdem phasis punctum observarent; metu vero ne quid de præcepto festi ineunte mense celebrandi negligere, gemini, uti quidem ferunt, dies festi celebrabantur, quorum alterum, dies latentis Luna, alter dies apparentis Luna appellatus est. Scitè admodum observat D. Toinardus Harmon. Evang. not. pag. 154. hæc tantum servari consuevisse in Provinciis locisque ab urbe Jerosolyma remotis; quæ enim ad Urbem & loca adjacentia spectabant, prescripto Domûs judicii dirigebantur. Opinionem illam suam Rabbi fulciunt textu 1. Reg. 20. 5. alibi à nobis examinando. De viris, quibus certum assignabatur pretium, ut phasim astrorum specularentur, scriptum creditur illud 1. Par. 12. 32. De filiis Isachar viri eruditi,

qui noverant singula tempora ad præcipiendum, quid facere deberet Israel, Principes ducenti; omnis autem reliqua Tribus eorum judicium sequebatur.

Anni civilis Hebræi, & Aegyptii ab autumnum periodum auspicabantur; ex quo labentis ætatis, atque collectorum fructuum tempus, exitus sive revolutio anni à Moysè appellatur (h). Apud Ezechielem * sermo est de ineunte anno civili, quod anni tempus Judæi usque hodie Rosch bafchana appellant; ducit autem exordium annus à Tizri, qui Septembri respondet. Diluvium coepisse dicit Josephus secundo mense anni civilis (k); quem Macedones Dios, Hebræi Mareshvam appellant (Octobri ferè respondet). Post constitutum à Moysè anni Sacri in mense Nisan caput, pristina ratio civilis anni ab autumnum ducendi mansit. Festum Expiationis, quod in diem 10. Tizri incidebat, (Tizri Septembri, & Octobri respondebat) institutum creditur in memoriam lapsus Adami; quæ si vera sint, mundus ab autumnum coeperat.

i Exod. 23. 16. & 34. 22. * Ezech. 40. 1.

k Antiq. l. 1.

Septimanarum tria sunt apud Hebræos genera: 1. quæ 7. annorum periodo constat, anno Sabbatico dein succedente, quo scilicet à terræ cultura ferietur; 2. annus Jubilei, 7. annorum septimanas, nempe quadraginta novem annos complectens; 3. tandem septimanæ dierum. Porro Jubilei annus tantumdem ferè apud Hebræos habebatur, ac magnus annus apud Aegyptios; æquæ autem civilis erat, & facer. Dies à vespera in vesperam agebantur. Moyses civilem diem, binis commemoratis terminis, describit: vespere & mane; dies enim à vesperis ortus, cum mane, nempe cum die definebat. Inter sacros civileque dies distinctio apud Moysen nulla; quare Festis diebus à vespera in vesperam ductis, à vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra; eisdem diebus civilibus terminos constituisse oportet. Festa igitur inter duas vespere inibant, sole scilicet in vespere declinante. Nec Festis tantum indicandis voces illæ à Moysè usurpantur; quin & paribus pro vulgaribus rebus utitur; ita Deum immisurum coturnices inter duas vespere prænuuntiat (l); quas ipsas aves vesperæ advolituras pauld inferius repetit; hæc igitur phrasæ unum idemque tempus designant. Primam septimanæ diem à vesperis init S. Matth. 28. 1. Vesperæ autem Sabbati, qua lucefcit in prima Sabbati.

l Exod. 26. 12.

Mos iste in sacris Judæorum cæremoniis nunquam abolitus, ad Christianam Ecclesiam, in qua statum Officio tempus inter duas vespere constituitur, transiit. Veteres quoque etiam populi plures, exordienti à vesperis diem consuetudinem servarunt, uti Athenienses, juxta Gellium (m), Galli, Germani, Numidæ, Lybiæ incolæ (n). De Gallis enim hæc Cæsar: Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; & dies natales, & mensium, & annorum initia sic observant, ut noctem diem subsequatur (o). De Germanis Tacitus; nam agendis rebus, ait, hoc (nempe occasum Solis) auspiciatissimum ini-

m A. Gel. l. 3. c. 2.

n Apud Nic. Damasc.

o De Bel. Gall. l. 6.

initium credant, nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant; sic constituunt, sic conducunt; nox ducere diem videtur. Hujus moris vestigia in nonnullis veterum Germanorum monumentis superant, in quibus tres noctes pro diebus totidem numerantur. Hodie etiam apud Anglos est in moribus positum, ut septimanam nomine Sennight, ad literam septem noctes, designent (p). In Bohemia finitimitque regionibus, quæ Poloniæ respiciunt, hodie usque dies & horæ 24. à vespera in vesperam ducentur. Veteres Poetæ semper noctem diem præferunt, quod & Moyses in Genesi observat, & Hesiodus in Theogonia, diem è nocte matre genitum canens, designat.

p Strauch. Bræv. Chronol.

q apud Laert. in Thale.

r Plut. in Alex.

Requisitus olim Thales Milesius (q), diesne, an nox, prior emerisset, noctem diei præcessisse respondit. In carminibus Orphei, nox hominum & Deorum matris Ologio celebratur. Thaleti planè oppositam sententiam respuit Gymnosophista quidam, ab Alexandro Magno pari quæstione pulsatus. Responsum vero admiranti Regi ait Philosphus: Ambigua quærenti, ambigua responsumus (r). Post Judæam à Romanis subactam, tres apud Hebræos obtinuisse dierum rationes ferunt. 1. Diebus Festis pristinus à vespera in vesperam mos servatus est. 2. Civiles dies, à media nocte ducti parem habebant exitum. 3. Alios invecos dies à mane in mane contendant; hi vero dies, iniquant, in 12. inæquales horas pro temporum diversitate distributi, eademque

in noctibus dividendis servata consuetudo. Hæc à Judæis pro more Græcorum & Romanorum servata sunt, quorum sicut jugum, ita & mores subierunt.

Horologia & horarum ratio apud veteres Hebræos nulla apparent. In Moysè mane tantummodo, meridies, vespera, & nihil ultra occurrit. Solis declinantis tempus hac phrasi designat: inter duas vespere; post occasum Solis: vespere. Alia dividendæ diei ratio in Libris ejus frustra requiritur; noctis spatium in tres partes distinctum legitur, vespere, mediam noctem, & custodiam matutinam (s).

s Exod. 24. 24. Judic. 7. 19. Thre. 2. 16. Vi. de & P. 89. & 118. & 148. t Vide nostrum Comment. in. 4. Reg. 20. 11.

Sub Ezechia prima horarum mentio occurrit, cum scilicet de Regio solari horologio agitur, in quo styli umbra per gradus quosdam discurrens, horas indicabat [2]. Si quid aliud ante ea tempora de horis apud Septuaginta legatur, nomen illud non diei partibus, sed anni temporibus designandis, eodem quo apud Homerum, & Hesiodum sensu, usurpatum est.

u Matt. 14. 25. Marei 6. 48. & 13. 35.

In N. T. vigiliæ quatuor totum noctis spatium distinguunt (u); quod ita Romanis moribus acceptum est, ut apud Græcos aliquando obtinuerit. Quamquam non raro pro quatuor tres tantum noctis vigiliæ Græci observabant. Hanc dividendæ noctis rationem omnium vetustissimam esse, supra observavimus. De horis diei 12. sermo est Jo. 11. 9. & Matth. 20. 34 5. ut proinde inæquales diei horas, quales vulgè apud Romanos & Græcos obtinebant, in Judæam quoque invecas intelligamus. Vide nostrum Comment. in Matt. 17. 45.

IN EXODUM PROLEGOMENON.

Liber, quem Græcâ voce Exodum, egressum scilicet, appellamus, ex historia exitus Israelitarum ab Aegypto, nomen obtinuit. Apud Hebræos Veelle Schemoth inscribitur; quod scilicet voces illæ primè in Hebræo Libri textu legantur. Historiam completur 145. annorum; quot scilicet ab obitu Joseph ad erectionem usque Tabernaculi ad radices Sinai decurrerunt. In ipso historiae limine, Moyses motè in Israelitas à Regibus Aegypti persecutionis causas & occasionem edisserit (a); dein lata in gentem edicta, maribus eorum à partu extinguentis (quamquam obstetricum pietas impiis Aegyptiorum conatibus intercesserit) persequitur. Post hæc omnia, nuptiæ Jacobed cum Amram sequuntur, quibus parentibus ortus Moyses in amnis ripa expositus, & à Filia Pharaonis inventus, matrem suam habuit nutricem. Dissert. Calmet. Tom. I.

Ab ea in spem regiæ domus educatus, relicta tandem Aulâ, atque spe omni Principatus abjectâ, ad fratres suos invisendos, injuriasque ab illis depellendas se contulit; quare de vita periclitatus, præsentissimum declinaturus periculum, in Arabiam secessit. Ibi in domo Jethronis manens, filiam ipsius sibi despondit. Cum autem pacendis ovibus foci sui occuparetur [6], à Deo per visionem sollicitatus, ad revelandum à populo suo Aegyptiacæ tyrannidis jugum, divini nominis cognitione, atque patratorum miraculorum virtute auctus, missus est. Secedens igitur Moyses, Sephoram uxorem suam, duosque filios secum adducebat; quos tamen deinde, Angeli in necem Eliezer irruentis visione territus, ad focerum remisit. Occurrerat venienti Aaron; & cum ambo fratres ad montem Sinai venissent, legatione pro se fungi iterum à Deo justis sunt. In Aegyptum igitur sese contulerunt [c],

b Cap. 3. 4.

c Cap. 5. 6.

ibique exposita Israelitis Dei voluntate, dein coram Pharaone se sistentes, dimissionem pro populo requisierunt. Rex detestare primum, deinde & populum novis oneribus opprimere; Moyses vicissim iterum in Aulam, atque Divinæ virtutis, cuius nomine dimissionem Hebræorum petebat, potentiam ostensurus, statim projectam virgam in anguem transmutavit (d). Verum prodigium non absimili præstigio Ægyptiorum Magis eludentibus, factum est, ut perversax Regis animus Hebræorum petitionibus non acquiesceret. Ad plagas igitur ventum est, novarumque novis accessione nihil tamen à Rege potuit impetrari. Ita aqua Nili in sanguinem transmutata sunt; ranis primum, deinde muscis parvis, atque vulgaribus tota latè regio ebullit, ut homines, & jumenta omnia ac pecudes desolarentur. Tot malis urentia ulcera in pecudibus, & jumentis successerunt (e); fata omnia ruens grandio depasta est; undique verò discurrentia fulmina, atque reboantia tonitrua terrorem inferebant. Sub hæc, locustis infesta omnia (f), densisque tenebris horrida. Nihil tamen de pristina obstinatione recedente Regis animo, Divinæ ultionis gladius tandem in necem omnium primogenitorum Ægypti discurret; cum interim apud Hebræos, atque in terra Gessen, ubi populi sedes, salva essent omnia.

Ante hæc omnia, segregare sibi agnum, ut, qua nocte secessio facienda erat, cibus suppeteret populo, Moyses iusserat. Quibus autem cæremoniis victima immolanda atque in cibum adhibenda esset omnibus deinde succedentibus generationibus, cap. 12. persequitur. Post illatam ab Angelo Dei in omnes Ægyptiorum primogenitos necem, divinâ iussione sacros Domino offerre omnes Primogenitos, tam hominum, quam brutorum, Hebræis injunctum est [g]. Post hæc discessione factâ ab Ægypto, populus Ramessem primum, deinde Socoth, ac tandem Etham venerunt. Exinde iter profrequentibus ignea columna, noctis tenebras suâ luce depellens, solis verò calorem umbrâ suâ temperans, viam monstravit.

Sub hæc, Pharaon indulgentiæ suæ in populum poenitens, tumultuario exercitu coacto, abeuntium viam insiliens, castrametantes in Beelsephon ad Mare rubrum affectus est (h). Actum fuisset de populo, nisi Moyses, elatâ virgâ prodigiosa, in medio pelagi sinu viam Israelitis fugientibus in aversam ripam aperuisset. Ægyptii statim abeuntes urgere, audacter & ipsi patentem in mari viam ingredi; vix tamen ingressos, recurrentes undæ, omnes, ne uno quidem excepto, absorberunt.

Moyses è præsentissimo periculo liberatus, solemnes gratiarum actiones, novo adornato cantico, Domino persolvit (i). Post ementum tridui itinere desertum Sur, populo in Mara castrametanti, amaricantes loci aquas Moyses miraculo potabiles exhibuit. Hinc motis castris, Elim primum, deinde in desertum Sin ventum est

(k); qui sanè locus & manna pluentis, & coturnicum in escam populi volitantium prodigio celebratur. Altera statio ad Raphidim succedit (l), ubi Moyses aquas è silice eduxit, atque insignem de Amalecitis victoriam Josue reportavit. De adventu Jethro in castra Israelitarum, atque præscriptâ ab illo politiæ disciplinâ historiam legimus in cap. 18. quanquam seriùs contigisse, post erectum scilicet Tabernaculum, facillè intelligimus. Succedens tandem ad Sinai populus, in spem ineundi cum Domino foederis, ipso Domino invitante, erectus [m], post tridui expeditionem, infedentem montis vertici Dei Majestatem spectavit. Quare Moyses, consensu Monte, Decalogum, nempe totius Legis summam, ipso Deo tradente, accepit (n). Alia etiam nonnulla, quæ capp. 21. & 22. & 23. referuntur, eâ occasione præcepta sunt; quæ Moyses ad populum deinde referens, ineundi foederis, immolarum in eam rem victimarum sanguine, author fuit. His peractis iterum, Moyses ad Deum, à quo totius Tabernaculi mox fabricandi ideam, qualis latè capp. 25. & 26. & 27. & 28. & 29. & 30. & 31. describitur, accepit. Cum tamen vir sanctus longiorem in Sinai moram traheret (o), populus ejus rei fastidio, tandem in idololatriam, aureo vitulo erecto, prolapsus est.

Quod cum Moyses, relicto tandem monte, intellexisset, rei dolore tabulas lapideas, quas deferebat, in terram allisit, statimque ad vitulum convolans, deiecit, comminuitque; in prævaricatores verò stricto gladio, adjuvantibus inter Levitas qui in fide permanserant, impium scelus 23000. caesorum sanguine explavit. Succedens deinde in montem, veniam, pristinaque in Hebræos Dei providentiam (p) impetrat. Jussus verò novas parare lapideas Tabulas, atque solitarius iterum, ascendere montem, omnibus actutum executioni mandatis, post divinum 40. dierum alloquium, tandem novas Legis Tabulas ad populum contulit. Sed cum novâ coruscans luce intuitum oculum præfringeret, haud alacri animo occurrentem populum adhortatione primum confirmat, dein ad opus Tabernaculi spontaneam oblationem offerant singulos hortatur (q). Duos interea Opifices Beseleel & Ooliab peritissimos, novâ divinitus sapientiâ instructos Deus operi moliendo pares comparaverat (r), quibus usus Moyses perfectum tandem Tabernaculum primâ die primi mensis anno ab egressu Ægypti secundo (s) erexit. Hac historiæ hujus Libri summa.

Quod in hoc Opere Lectores intentos potissimum detinet, foedus est à Deo cum Israelitis initum, & politiæ genus in Republica Hebræorum constitutum. Sapientissimis legibus sancitis, tota Republicæ, & Religionis administratio directa est, Deus Legislatoris sibi, Patroni, Regis, Patris, Dei tandem Hebræorum, munus vindicat; vix autem in Regem agnitus, atque foederis instrumentum so-

d Cap. 7.

* Cap. 8.

e Cap. 9.

f Cap. 10.

g Cap. 13.

h Cap. 14.

i Cap. 15.

k Cap. 16.

l Cap. 17.

m Cap. 19.

n Cap. 20.

o Cap. 32.

p Cap. 33.

q Cap. 35.

r Cap. 36. 39.

s Cap. 40.

t Num. 23. 21.

u Joseph. 1. 2. contr. Apion.

x Reg. 15. 16.

y Vide Euseb. Demonstr. lib. 1. c. 10. Theodoret. q. 61. in Exod.

lemni cæremoniâ firmatum est, statim Deus dignitatem hanc suam exerens, toto majestatis apparatu edicta rogat, atque exemplo Regum Orientalium insigne sibi Tabernaculum in medio populi constituit. Ibi numeroso, regioque satellitio stipatus, & penetralibus Tabernaculi commissa Moysi famulo suo iussa populo edici præcipiebat. Nec alibi oracula de futuris eventibus rebusque occultis reddebantur, quam è media veluti ejus loci caligine, quæ Numen occultans, majestatem, & terrorem augebat. Hanc Numinis tremendam majestatem in medio castrorum Israelis Baalam respiciens, ait, (t): Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoria Regis cum illo.

Ea verò constituta est à Deo populo regendo politiâ, ut à Deo ejusque iussionibus omnia penderent. Ille bellum indicit: ille castra metari jubet in deserto; movendaque iussa clangentis buccinæ imperat. Hebræorum Reipublicæ, quam Sciptor quidam jurè Theocratiam sive divinam politiâ appellavit (u), Hebræorum, inquam, Reipublicæ subjecti omnes tribus per annum vicibus coram Rege Deoque suo sistere jubebantur, ut scilicet spontè se illi subjectos, munus oblatione (vacuum enim coram Deo apparere nefas) profiterentur. Omnes primores natu tam hominum, quam brutorum, sicut & primitiæ, ac decimæ non fructuum, tantum atque messum, sed & decimæ partem temporis, indicis in eam rem festis solemnibusque diebus, de jure Regis Deique censebantur. Quod scilicet exemplo Regum Orientalium, paria in sua ditione exigentium, sancitum est (x); annonas enim & necessaria omnia usibus domesticis atque exercitui, subjecti quilibet populi suis singuli Regibus sufficiebant. Ita pariter Deus omnia hæc deferri iussit ad Templum, ut in usum Altaris, Sacerdotum, & Levitarum, quibus tanquam domesticis & alicis utebatur, impenderentur. Scitè quidem observat Philo, Sacerdotes in Lege Regibus & Principibus comparari, si honor illis præscriptus spectetur: deferri enim ad illos sancivit ab universâ gente tributa, decimas nempe, & primitias tam fructuum omnium, quam gregum. Studio autem atque voluntati, qua populus singula conferebat, nihil erat reliquum; cum oblationes illas inter solemnes gratiarum actiones, factasque acclamationes ita offerret, ut quæ Ministri Dei ab illis acciperent, ipsi recipere sibi viderentur.

Commisâ in Legem crimina præ Tabernaculi foribus victimarum mactatione explabantur; quo scilicet cruoris indicio reos se capitalis criminis atque subeunde mortis Deo, vitæ authori, profitebantur (y). Mactatas eâ occasione victimas vel degustare quidem nefas, sed partim Altaris igne consumptæ partim in esum Sacerdoti sacrificium offerenti cedebant; quasi scilicet reus indignum se, qui de mensa Dei sui participaret, agno-

sceret. In sacrificiis pacificis, & eucharisticis hostiæ portio coram Domino degustanda, sacrificium procuranti cedebat; altera verò portio Sacerdotibus reservabatur, ut nempe signum esset Dei cum populo foederis, pro recepto apud populos varios more, ut scilicet post inita foedera uni simul omnes mensæ, pacis, & conjunctionis argumentum, affiderent. Ita Isaac cum Abimeleco (a), Jacob cum Labano (b), Josue cum Gabaonitis (c) cibos degustarunt; sicut vicissim, morem illum spectans S. Paulus, ab idolotitis fideles abstinere præcepit (d).

Summum Sacerdotem in domo sua Principem Dominus constituit, cui in Sanctuarium aditus uni patebat; non nisi tamen solemnibus adhibitis cæremoniis, aliisque observatis religionibus, quibus obsequium & religio loco sancto conciliaretur. Solemnes hujus Ministri vestes, à Domino præscriptæ, tantæ dignitatis argumentum sunt & emblema. Super humeros & pectus nomina 12. Tribuum Israel insculpta deferrebat; quippe quod cura omnis, & administratio populi ad Sacerdotem pertineret; agendumque illi esset cum Deo de universi populi rebus, à quo vulgaris populus majestatis timore absterrebat. Laminam auream fronti impostam gestabat, in qua insculptis literis legebatur: Sanctum Domino, quod scilicet, ait Moyses (e), commissa à populo in sanctitatem loci, in oblationibus, & sacrificiis crimina expiare ad Sacerdotem pertineat. In rebus arduis Summum Sacerdotem consulendum Dominus edicit, iustum proinde in Rationali Urim, & Tumim, nempe doctrinam, & veritatem, seu, ut illa Moyses appellat, iudicium filiorum Israel (f) gestare, quod est supremi populi Dei iudicis insigne. Porro ex Urim virtus reddendi oraculi petebatur, ita disponente Deo, ut in iudiciis Summi Sacerdotis sententias pronunciantis pondus oraculi agnosceretur. Deformes viros à Sacerdotio absterret (g); quare vitio aliquo corporis infirmos, sive contemptibiles homunciones rejicit. Parem etiam apud Reges Perfarum consuetudinem obtinuisse in historia Danielis legimus (h).

Subjectis sibi populis imperio despotico uti, atque unicè in illos regnare Principum est. Deus itaque, populi sui libertati studens, alienis perpetuo mancipio servire neminem patitur (i); quare mancipia omnia Hebræa Sabbatico sive Jubilæi anno manumitti præcipit; avitas hæreditates distrahere vetat, quippe qui nec vitæ suæ, neque bonorum, quorum usum tantum à Deo haberent, domini essent. Operum, & quietis tempus dirigens Deus, anni ineuntis atque mensis exordium, quod scilicet ad nutum ejus penderent omnia, determinat. Sacerdotes, & Levitæ, veluti domus Dei servituti addicti, peculiare deferre vestes iussi sunt; de mensa Domini participant, de victimis scilicet, quorum tantum adesp, & sanguis Domino libantur, & de pane in Altari ipsius apposto. Ita legimus in historiis, apud Reges Per-

a Gen. 26. 28.

b Gen. 32. 46.

c Josue 9. 14.

d 1. Cor. 10. 20.

e Exod. 28. 36.

f Exod. 28. 30.

g Levit. 21. 17.

h Dan. 1. 4.

i Exod. 21. 6.

Levit. 25.

sa-